



**In Hoc Libello Pontificii Ora||toris continetur legatio, in
co[n]uentu Noremburgensi,|| Anno. M. D. xxij. inchoato,
sequenti vero finito ex-||posita, vna cum instructione ab
eodem legato|| ...**

Hadrian <VI., Papst>

Noremburgæ, 1523

VD16 K 320

63 De Causis Inivriarvm, Qvae Coram ecclesiastico ventilantur iudicio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65406)

suffecti, procuratores, domestici, famuli, famulaeque, ac denique ipsorum etiam subditi, conantur, adnitanturque idem iuris, quod eorum habent superiores, sibi ipsis quoque asserere, usurpareque.

DE CAUSIS INIURIARVM, QVAE CORAM
ecclesiastico ventilantur iudicio.

Tandem, si quando ex facto euenit, ut ecclesiasticus contra laicum iniuriarum agere, illatas forte verbo iniurias, intendat, conatur ecclesiasticus iudex eas ipsas quoque suae iurisdictioni vindicare causas, quo denuo reus iudicio conuentus, ordinario iuri suaeque eripitur atque eximitur iurisdictioni.

QVEMADMODVM CAUSAE PROPHANAE OB
interposita iuramenta, ecclesiastico tribunali asserantur.

Insuper & id praesumunt officiales, si quando in causis prophanis, ac inter personas ecclesiae minime sacras, dicatae, sed omnino laicas, data fide, seu praestito iuramento, verbo, vel in scriptis, pacta, obligationes, contractus, vel promissiones factae sint, vel celebrataeque eam ob rem, atque huius praetextus ratione, tales prophanae, laicaeque causae coram ipsis potius, quam ordinario iudice agitari debeant: quae noua ecclesiasticorum techna vsu si increaseret, ac diutius toleraretur, iam actum foret de ciuili causarum auditorio, quod omnes prophanae ciuilesque causae, contractuum atque transactionum, hac via necessario ad ecclesiasticos pertraherentur. Quis enim contractus, quae transactio, quae denique inter paciscentes conuentio, quae non sit solenni ita stipulatione, aut promissione vallata? Illac nimirum rerum veniremus, ut in totum ciuilia eluderentur iudicia. Quod nedum contra aequitatem ipsam, contra omnia iura scripta, sed & ciuili magistratui intolerabile foret. Nam ut demus hoc interim ecclesiasticis iudicibus de periuicio commisso, notionem ut habeant: nihilo magis per id causae ipsius principalis, contractus puta, aut transactionis, quam ob rem ille peierauit, iudices competentes erunt, quin periueros illos ob religionis transgressionem manifestariam